MANIPULUS
in Armis
Philoſophico expoſitus Cultui,
Seu
Triplex Armorum genus, indiſſolubili
Sanguinis, Virtutis, ac Honoris nexu, in
Unum Manipulum
COLLIGATUM,
Sub Fortunatiſſimis verò Auſpicijs
PERILLUSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI,
D. JOSEPHI GRZYBOWSKI,
CAPITANEI SULEJOVIENSIS,
Diſcurſibus Hiſtorico-Ethico Panegyricis
ILLUSTRATUM,
ac per triplicem mentis Operationem DISTINCTUM
à Philoſopho Rationali, R. D. ADALBERTO JOSEPHO
TWORKOWICZ, Cler. Secular. in Commune vi-
ventium Alumno,
Præſide R. P. NICOLAO JOANNE JELENSKI,
Societatis JESU, Ordinario Philoſophiæ Rationalis Profeſſore,
in Collegio Varſavienſi,
Anno 1706. Menſe . die

In Stemma

Perilluſtris Capitanei.



I. In Logica, cerno Lucem, caligine, quando
Singula FALX, veluti prævia Luna micat.

II. Hæc tot cùm Genera intra ſe CRUX continet una
Arbor Porphyrij CRUX erit ipſa ſibi.

III. I Liber in totum mundum ſecurus ab hoſte,
Te ſtricto, tutum, cùm facit, ENSE, manus.

PERILLUSTRIS
MAGNIFICE DOMINE
CAPITANEE.

PHosphorum Scientiarum Rationalem Philosophiam cui ex æquo consecrem, nisi Tuorum auroræ Annorum; hinc alti Sanguinis æquævo murice, inde tantâ jam virtutum maturitate purpurascenti, ut ex hoc ætatis Tuæ diluculo præsagâ mente eos nobis auguremur dies, quos Maximi Tui vixêre Aborigines, exteris ad invidiam, Posteris ad exemplum, omnibus ad prodigium. Nunquam equidem ex victimarum extis veriora excerpunt Aruspices vaticinia, quàm nos ex capite annorum eruimus secuturi prognostica ævi, in flore pubescentis vitæ, velut in folio Sybillæ, illustria de venturis lustris legendo oracula. Ex Stellis seu fixis, seu gradarijs Phænomenis erratica passim colligimus nomina; ex avium volatu, nimis vaga & incerta venamur auguria; verùm ex implumi mortalium ætate, majori de futuris fiduciâ divinamus. Ita olim Curialis ille augur Sylla Romanus ex malè præcincto minorenni Julio, quantis cingenda esset undiq; angustijs Romana libertas, præscio conjecit animo; nec vanus utiq; præcinuit Vates sub Julio dissipandam Rempublicam, qui laxiore cinctu colligebat sinum, everrenda ab illo Quiritum decora, qui terram verrebat discinctæ vestis appendice. Hinc è profundo pectore, velut è Tripode fatidicis ductis suspirijs Septicollem monebat Rempublicam: à malè præcincto puero cave tibi Roma. *Verùm non cadunt hæc infaustæ divinationis semina in Manipulum Tuum* Perillustris Accrescens, *quem benè præcinxit virtus, & quæ* jam sese rudibus pietas ostentat in annis, *pridem feci*

devinctum Superis. Quid enim Tu ipse in herba ætatis, nisi collectaneus virtutum manipulus ab ipsis adorandus virtutibus, in quem si quis conjecit oculum, rectè conjecit.

--- Nec vanæ fudit præsagia mentis,
Te fore quem virtus coleret; cui cedere vellet
Pallas, & attonitâ proles Cyllenia linguâ. *(Barclai.)*

Per annorum pleriq; gradus virtutis ascendunt apicem, nec priùs solidam mentem induunt, quàm prætextam exuant; Tu inter annorum rudimenta veteranus jam Tuorum Majorum Commilito; hoc tantùm ex teneritudine ætatis habes, quòd tenerrimè virtutem & omnem honesti speciem virili animo, ante virile ævum adames.

O tener! & magnis si sunt Natalia Divis,
Penè puer primisq; viro jam major in annis. *(Barcl.)*

At quidni in messem virtutum adolesceret; quidni in morum albesceret canitie hic maturus in immaturo ævo manipulus, quem in aprico Avitæ gloriæ, & Sole circumclarescentium Familiarum collocârat prærogativa Natalium: quem ex omni Polonæ Nobilitatis flore collectum, magnis stirpibus alligârat vinculo; tam præinclyti Sanguinis, ut non tenui avenâ huic manipulo admodulari domesticus noster Horatius audiatur.

Te decoro, Nobilitas comitata, gressu
Centum vetustas nectit origines,
Centumq; retrò per populos fluit
Ceris Avorum. *(Sarbiev.)*

Neq; enim in hoc basilico manipulo *agrariæ fluctuant aristæ, verùm stetêre pergama, magnæ scilicet illæ concentratæ Domûs, quæ Patriam velut adamantina pergama circumvallant. Non impleo illis paginam, quæ totam penè impleverunt Poloniam, nec ex campo Martis in publicæ lucis arenam transfero manipulum illorum Heroum, qui in Martiali hostilium Capitum Messe olim desudârunt, ut Tibi Sarmaticorum Agamemnonum Deciorumq; Nepoti, heroicum pararent cibum; quo inescatus eâ inardesceres gloriæ siti, quam vel operoso sudore inter togatas Patriæ curas, vel hostico cruore extingueres in Bellonæ novalibus. Manipulus*

olim

olim in Romanis castris labari vices subibat præibatq; belligerantibus Quiritibus, Tibi *Heroicus Quiritum, id est* Progenitorum Tuorum *præcurrit Manipulus, in quorum singulis etiamnum* miratur Bellona Virum, *ac unicuiq; illud Leonidis Epitaphium inscribit Sarmatia*: Speculum benè meritorum de Patria. *Quid Speculum, nisi Crystallinus quidam specierum, colorumque manipulus, multiformes in se objectorum colligens vultus? Quid Tui Majores? nisi Gradivi Speculum, in quo Fabiorum, Catonum, Numantinorum, Coclitumq; heroicas species, & ferri memores genas contempleris. Verùm Tuæ consultura memoriæ natura, ut minore operæ pretio* Tuos Majores *disceres, in uno concentravit Magno* Genitore *illa viva Heroum Iliade, qui*

--- --- Dignus erat, cui cederet uni
Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Tullius, arte Camillus. *(Sidon.)*

Jam quidem ille emeritum vitæ manipulum, non tam annorum, quàm rectè gestorum copiâ uberrimum, submisit falcatæ vi mortalitatis, inq; alio posuit sua sidera Cœlo. Verùm, non totus supplantantis fati vindemiæ in prædam cessit; sed pars melior sui vitavit Libitinam, & ne quidem summis, delibata Parcarum labris in Te, vivit.

O Magnanimi Proles animusq; Parentis! *(Barclajus.)*
Non enim es de Classe illorum Stolonum, qui contenti patrimonio Nominis tantùm succedunt in bona; non in optimas Progenitorum virtutes, quorumq; exsors Patriæ virtutis indoles Paternam Sortem accipit, tametsi nil Patrium nisi Nomen habet. Tu *verò*, PERILLUSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE, *non tam* plenus imagine Patris occurris Patriæ, *non tam vultûs lineamentis, quàm ad sublimia collineante animo, Tuum exprimis Progenitorem, expressâsq; fato Paterno nobis lachrymas reprimis. Supervacaneum enim censemus eum luctuosâ prosequi pupillâ, quem in Filio redivivum hilarescentibus Patria oculis intuetur. Hinc magis quàm in Euripi anfractibus hæret anceps Archipater Philosophorum, dubius, utrùm Patri an Filio hunc inscribat* Manipulum, *cùm unum ab alio subtilissimus aliàs specu-*

lantium Princeps distinguere non possit, Ascanium à Magno Ænea, Marcellum ab Octaviano, à Philippo Alexandrum discernere nequeat. Nihilominùs soli Filio *Paternarum virtutum* Compendio, *pretiosoq; Manipulo primum Philosophicæ Messis Manipulum consecramus, & eruditas solvimus decimas Sacro Oeconomo intra Regificum* Tuum Nomen *hospitanti. Ingratum fortassis, nec Rationale munus est, Sarmatico flori rationales spinas, accrescenti luci, & in perfectum jam grandescenti diem, obscuram Logices caliginem dedicare. Lechicæ gemmæ Clavim Scientiarum* GRZYBOWSCIANÆ DOMUS inclytæ Plantulæ *ramosam Porphyrÿ Arborem, Citharæ, in solatium Orphanæ nuper Domûs, relictæ, Organum Aristotelis devovere. Verùm ipsius Agnominis instinctu ad Manipulum Præinclyti* Accrescentis *pertinere videtur Aristoteles, cui enim nisi Manipulo huic Aristæ loco inseri debuerit, ut securior à Censorÿs sit Aristarchis. Admittes ergo Avis decorus, & Avorum decus* Perillustris Accrescens, *ad umbram* Manipuli Tui *aspirantem, Porphyrÿ arborem, rationalem Scientiam in rationabile obsequium sese Tibi sacrificantem; dignabere eo accessu, quem brevi post Philosophicas nostras cathedras, exambient prima in Senatu Subsellia magnæ in Sago & Toga dignitates. Arcano enim Divûm consilio, Aurora Scientiarum ad Te descendit, ut prodrōmo antecessu non unum honoris Solem Tibi exoriturum præcedat, & naturæ ordine præludat Phosphorus diei imminentium dignitatum. Præcalcat ad Te Peripathetico passu Aristoteles viam, Peripatheticis, id est, continuâ olim deambulatione in Tua atria demigraturis honoribus. Neq; advena honor Logicas horrescit spinas, Tuis undequaq; plantis adhærentes, imò sublimi conjecturâ divinabit, nihil molle esse in molli tametsi ætate Tua, quæ spinas eâ impunè & animosè tractat manu, quâ alÿ in hoc ævi præludio vanas tanquam Socratici Equites tractant arundines. Non erubescent Tibi vel maximæ famulari dignitates, cui Magni Magister Aristoteles in tributarium sese devovit clientem. Verùm antequam Sol & Luna majora honorum luminaria suum adorent* Josephum, *præoccupat lucem Logica caligo, & coram magnæ spei Accrescente, decrescit altissimâ capitum inclinatione, Tuam munificam umbram exambientium. Non ita tamen crassa est Logica caligo, Tuarum licèt gratiarum aucta pretiosâ umbrâ, ut in ea non appaream*

MAGNO NOMINI TUO

Devinctissimus

ADALBERTUS JOSEPHUS TWORKOWICZ,
Cleric. Secular. in Commune viventiū Alumnus.

DISCVRSVS PRIMVS DE FALCIBUS.

NIhil eſt in rebus humanis præſtantius, quàm Antiquitas, quæ ſemper in pretio habetur. Lex Laconica erat, quæ jubebat omnes, ſive genere & Nobilitate, ſive dignitate aut ætate antiquiſſimis, primatum cedere; *Non quia alijs ſemper meliores ſunt ſenes, ſed quoniam virtus inveterata recentiori eſt anteponenda.* (Farne Eub. lib. 3. de Simul. Reip.) Ariſtoteli verò *honorabiliſſimum eſt quod antiquiſſimum,* (1. Metaph. c. 3.) & ipſius naturæ conſuetudine quâdam, an propenſione illud malumus, cujus uſus antiquior. (Symach. lib. 10. ep. 14) Porrò gentilitia arma ſunt quædam veſtigia generis & virtutis, per quæ ad primam Heroum ſera poſteritas venire ſolet originem. Itaq; falcatæ Nobilitatis primordia ſi quæras, tempus Falce armatum inſpice, quo nihil eſt antiquiùs in orbe. Cæterùm primam Falcibus originem dederunt antiquiſſimi hominum populi, Telchines dicti, primi inventores ferri cudendi, utpotè qui Harpen, id eſt enſem falcatum Saturno fecerunt, à quibus Rhodus inſula olim Telchinis dicta. (Strab. l. 15. Geograp.) Ut verò Saturnus Deorum eſt antiquiſſimus, quia ſæculorum Pater, & temporum Dominus dictus, ita coæva ſibi inſignia Falces: ac idcircò in Simulachris Antiquorum Saturnus pingebatur barbatus, cum Falce in dextra, nunc capite velato, nunc detecto, quia tempore aliqua latent, aliqua patent; in ſiniſtra ſerpentem in orbem convolutum præferebat, ad indicandam rerum volubilitatem, quæ temporum viciſſitudine aſſiduò volvuntur, revolvuntur, involvuntur, donec omnes velut ſub falcem cadant, nempè ad arbitrium Cœli, Polique, cujus Filium primitivum eſſe Saturnum credidit Vetuſtas. Hæc cauſa fuit, ut Saturniæ fal-

ci tum à cæteris Gentibus, tum potiſſimùm à Siculis ingens haberetur cultus. Quippe in Sicilia olim inventa Saturni falx, velut quoddam felicitatis pignus non in profano ærario, ſed in ſacris Fortunæ ædibus & aris ſervabatur, tamq; diu aurea Saturni ſæcula ſuperſtitioſa Gens ſibi vaticinabatur, quamdiù ejus falcis inviolatus vigeret honor. Falx enim pacis, quàm feliciorem ſæculorum nutricem appellabant Veteres, Symbolum eſt. Hinc falci velut pro Lemmate inſcripſit Martialis:

Pax me certa Divis, placidos curvavit in uſus,
Agricolæ nunc ſum, Militis antè fui. (lib. 4.)

Creticis nefas erat aciem falcis excitantibus, cotem aquâ perfundere, ſed oleo, fortaſſis quòd aqua continuo motu & procellis tempeſtatem bellorum denotet, oleum ſuâ pinguedine ubertatem pacis, cui optimè cum falce convenit. Siquidem

Pax Cererem nutrit, pacis Alumna Ceres,
Meſſem *quæ dum falce metit, pacem quoq; nutrit & ipſa.* Sed ut pacis Symbolum, ita belli & Martis præſidium ſunt, dum *rigidum falces curvantur in enſem.* (Virg. 1. Georg.) Hinc falcati currus, falcatæ acies, falcati enſes, præcipuum in antiqua militia robur & tutamen, in qua militis *ſemper adunca, dextera, falce quàm jaculo gravis eſt.* (Ovid. 14. Metamorph.) Olim verò falx dabatur cuſtodibus hortorum contra fures & prædones, teſte Scripturâ (Zach. 4.) Ita non ſolâ antiquitate, ſed honore & uſu falces cæteris præſtant armis; ſuoq; ſplendore coruſcæ, *non aliena metunt*, ut quidam inſcripſit falcibus. Quibus & illud Apellis Symbolici optimè quadrat, qui falci flores metenti, parcenti radicibus, adjecit: *Alta petit, cùm negligit ima.* Quod ſi quibus, certè Gentilitijs Magnorum Heroum, id commune Falcibus,

APO-

APODOSIS ETHICA.

Quantum Antiquitas ad Nobilitatem generis confert.

DIfficile ſanè ferre judicium, plus ne ex opinione, an veritate familia Nobiliſſima æſtimetur, quæ antiquiſſima, præſertim cùm primâ ſpecie iniquum cenſeatur eſſe, eò Nobiliorem judicari eum & haberi, quò quis antiquiorem repetat originem; quaſi verò iſte quàm maximo intervallo diſtet à ſuo principio, undè primùm prodijt, & effulſit claritas familiæ. Cùm è contra Philoſophis excellentius eſt, quod ſuo principio conjunctius, quàm quod ab eodem vel ad latum diſceſſerit unguem. *In tantum unumquodq; perfectum eſt, in quantum ad ſuum principium attingit.* (D. Thom. 1. part. quæſt. 12. in ⊙) Quod planè commune illis axioma eſt. Hinc Sol in ortu gratior, flos in vere nobilior, magisq; blanditur oculis modò nata Floræ in viridi faſcia ſoboles, quàm provecta ad maturitatem Cereris canities. Arbor in radice fœcundior, à qua quò longiùs procedit, eò fertilior vermium. Fluvius quò propior ſuo fonti, magis illimis eſt; at quantò plus à ſua receſſerit origine, tantò plus de limo trahit, utpote in quem conjurati alvei, velut claræ ſuæ invidi origini, undiq; congeſtas montium exonerant quiſquilias. Attamen ſi hæc peritiori diſcutiantur trutinâ, non Novitati, ſed Antiquitati favent Generis. Nam & Sol quò altiùs progreditur, eò ſpectabilior apparet Orbi, & qui in ortu ſuo, ſpem non niſi futuræ ſerenitatis pollicebatur, ubi attigit meridiem, non quovis, niſi Aquilarum oculo excipiendam ſpargit lucem. Nec ab Arbore decerpta ratio hac in parte maturam ſapit veritatem, cui experientia inficias ibit. Nunquam enim in Heſperidum hortos refloreſceret planta, niſi ſuis erepta cunabulis longiùs diſtaret.

ret. Imò propinquæ radicibus Arbores niſi ſe altiùs provexerint, nil fructuum, præter ſterilia ventis in ludibrium gignunt folia. Verno autem flori quantò plus decoris aut pulchritudinis tribuitur, tantò de diuturnitate demitur, quod Magnis Familijs ſemper injurium eſt. Et unum maturæ Cereris culmum pluris Colona Reſpublica facit, quàm mille in primo flore ſpicas, quas ſolâ ſpe fructuum, non fructibus fœcundat tellus. Nec flumina ſuum ſortirentur nomen, niſi remotiùs à ſuo decidua fonte, in eam diffluerent vaſtitatem, quæ fluvij non tenuis rivuli menſuram mereatur. Nunquam certè tot diſſidia & contentiones extitiſſent inter Ægyptios & Phœnices, Phryges & Arcades, de prima gentis origine, dum aliæ ante alias in lucem ſe editas gentes jactabant, niſi plurimùm antiquitate ſplendoris oriretur. Tot Veterum monumenta revolve; cernes novas & novas ad placitum Imagines exponi, in quibus vetuſtatem ſui generis oculis & admirationi depingere ſatagebant. Nam apud Ægyptios alæ Vulturum domorum foribus præfixæ, indicium Nobilitatis & vetuſtæ Familiæ dabant, ex eo, quòd Vultures præ cæteris avibus vivant diutiſſimè. (*Alex. ab Alex. lib. 2. c. 24.*) Arcades, ut ſe ante Lunam genitos profiterentur, Lunulas in calceorum fibulis pro inſigni ſuæ Nobilitatis geſtabant, undè & Proſelini, id eſt ante Lunam nati, vocari voluêre. Quod & Romana Nobilitas ſibi arrogavit. (*Plutarch. in Problem.*) Athenienſes veſtibus & crinibus auream innodabant cicadam, hoc veluti Stemmate Nobiles ſe indigenasq; oſtenſuri, quia nimirùm ijsdem teſtibus ut cicadæ in una eademq; regione enaſcantur, creſcant, vivant, moriantur, ita eos cenſebant Nobiles, qui antiquâ oriundi Familiâ, Aborigines ſuos in eadem Urbe longâ recenſent ſerie. Quod Alciathus metro complexus:

Aurea Cecropijs nectebat fibula veſtes,
Cuî conjuncta tenax dente cicada fuit.
Calceus Arcadico ſuberat, cui Lunula ritu,
Geſtatur Patribus Mullea Romulidis.

Indi-

Indigenas quòd se aſſererent, hæc Signa tulerunt
Antiquâ illuſtres Nobilitate Viros.

Romanos tamen non tam Lunulas, quàm Semicirculum, quaſi literam C, in calceis geſtâſſe prodit Zonaras, quod ex Numæ inſtituto Senatoribus, eorumq; poſteris conceſſum eſt; nimirùm ut hoc Signo centenarium numerum, qui literâ C deſignatur, quo tunc Senatores continebantur, definirent, adeoq; ex antiquiſſima Patritiorum Familia dignoſcerentur. Unde in proverbium abijt, *Nobilitas in aſtragulis*. Iidem ut ſe ab antiqua Trojanorum gente originem ducere monſtrarent, pro Nobilitatis Signo Palladium uſurpabant. (*Maſſen. in Spec. Imag. lib. 2. c. 4.*) Franci longam Proavorum ſeriem exhibituri cæteris, longam alebant cæſariem, quod ingenuæ Nobilitatis index erat. (*idem ibid.*) Quorſum hæc eſſet jactantia de vetuſtate Originis, niſi ad Familiæ Nobilitatem pertineret, maximè eſſe antiquiſſimã. Fateor equidem, *peperiſſe Nobilitatem meliùs eſt, quàm acceptam corrupiſſe*. (Saluſt. de Bello Jugurt.) Hinc etiam Roma tanta licèt Nobilitatis zelatrix, Marium, tametſi genere ignobilem, Numidiæ præfecit. Nec illud inficiari audeo, quòd *non faciat Nobilem, atrium plenum fumoſis imaginibus*, (Seneca) *nec cenſus, nec clarum nomen Avorum, ſed probitas Magnos, ingeniumq; facit*. (Ovid.) Cùm

Nemo Virtutem Proavus, Paterq;
Vixit in noſtram, ſibi quisq; Famam
Debeat nec ſe, Vetulis Avorum
Augeat Umbris. (Ines.)

Et hic præcipuus Stoicorum conatus erat, adeò pro virtute depugnare, ut hâc unâ omnes allici debere, neminem generis ſplendore extolli, aut gloriari decorum cenſerent. Quibus utpotè Stoicus ſuffragatur Seneca: *Qui imaginem in atrio exponunt, & Nomina Familiæ ſuæ longo ordine multisque Stemmatum illigata flexuris in prima parte ædium collocant, Noti magis, quàm Nobiles ſunt.* Verùm hi quantùm pro virtute decertant, tantùm virtuti injurij ſunt, eodemq; impetu,

quo gentilitiam Nobilitatem impugnant, Virtutem ipsam è medio tollere conantur. Cùm Virtus Nobilitatis quædam genitrix est. Ex illa, ceu ab augusto quodam fonte, omnis Nobilitas generis dimanat, qui in Politicis honor quispiam est, qui utiq; Virtutis est præmium, quo illa fraudabitur, si hæc Nobilitas de medio tolletur. Demum ipsa *Nobilitas Virtus generis est*, (Arist. lib. 3. Polit. c. 8.) & per omnia cum Virtute Nobilitati convenit. Ut enim Virtus ad Nobilitatem, ita Nobilitas ad Virtutem stimulus quidam est. Et ut Virtus utcunq; tecta diù latere, quin humanos perstringat oculos, nequit, ita Nobilitas. Imò hæc naturâ ipsâ ferè indice vel in ipso vultu, aut totius corporis aspectu, ad Virtutem natam facilè prodit indolem, animumque. Eas enim insculpit notas & characteres, ut hominem altius spirare, & Magnificum quid (quod & Virtuti commune) sapere facilè deprehendamus. Hinc Paris ad Helenam:

Forma vigorq; animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectæ Nobilitatis erat.

Nec alio argumento Dido Æneam Nobilibus Avis, imò Dijs esse genitum sibi persuasit.

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens quàm forti pectore & armis?
Credo quidẽ, nec vanâ fide, genus esse Deorum. (Æneid. 4)

Ita certè -- *Nobilitas cunctis exordia pandit*
Laudibus, atq; omnes redeunt in semina vires. (Claud. in laud. Seren.)

Verisimile est, ex bonis bonos esse. (Arist. 1. Rhet. 9.) *Ideò pleriq; boni provenerunt, quia ex bonis traxerunt Originem.* (Plato in Menet.) *Nec parùm ad Virtutem facit, non Fortunâ, sed cognatâ quâdam præparatione bonum fieri, qui enim obscuro loco nati sunt, possunt quidem hoc sibi adsciscere, ut viri boni sint; attamen eorundem ignobilitatem etiam innata quædam vitia aliquando arguere possunt; quibus verò semina virtutis à Majoribus per multum tempus ducta adsunt, fieri non potest, quin &*

inge-

ingenua, & perpetua virtute sint præditi. (Anton. in Orat. Funeb. de Cæs. interfect. apud Dionys. Cass. lib. 44. Hist. Rom.) Reverà nullæ gentes, nullæ leges sunt, quæ non multum Nobilitati immunitatis, dignitatis, & authoritatis tribuant. Apud Romanos Equestris Ordo Seminarium Senatorum dicebatur, & Marius ad plebem Romanam ajebat: *Nobilitas omnes honores non tantùm ex merito, sed quasi debitos à vobis repetit.* (Salust. in Jugurt.) Et quidem Romani non cujuslibet Nobilitatis, sed ab antiquitate illustrioris potissimam habuêre rationem, apud quos non patebat ad Senatoriam dignitatem aditus, nisi illis, qui ad minimũ trinam Majorum seriem retexuerint, quod & lege cautum erat, quam cùm Appius Claudius censor infregisset, filiosque quorundam Libertinorum in Senatum adlegisset, rei indignitate L. Plancius adeò motus est, ut se Magistratu abdicare maluerit. *(Liv. lib. 9.)* Cùm idem Claudius Imperator exemplo Appij contra jusjurandum, quo se adstrinxit, neminem, nisi Romani Civis Abnepotem ad Senatum promovendum, fecisset; non minorem invidiam Senatûs, totiusq; Romanæ Reipublicæ incurrit; eosq; Senatores summa cum ignominia & dedecore, admissos licèt ab alijs Imperatoribus, à Senatu amovit Nero. *(Justin. lib. 1.)* Ex his liquidò patet, quantum ad Familiæ splendorem conferat generis Antiquitas.

APODOSIS PANEGYRICA.

ANtiquitatis Patrem colant Saturnum cæteri, in Avita GRZYBOWSCIORUm Domo plures quàm Unum Saturnum, plura quàm unum aureum Sæculum coluit, colitq; Lechia. Si ad primam Illustrissimæ gentis Originem revocavero pennam, integra Sæcula retexere deberem. Sive enim Crucis, sive Falcium revolvantur insignia, Utrorumq; monumenta non nisi Sæculorum, imò vix Sæculorum lustris definiri possunt. Ut ergo Solis Lunæq; initia, aut Septemplicis ostia Nili remetiri temera-

 rium,

rium, ita vetustissimos Primorum Aboriginum fastos, quos ipsa tantæ Domûs Gloria, ab oblivione Sæculorum vindicavit, in memoriam reducere superfluum duco. Parco itaq; Sacris Manibus, qui è Principum splendoribus oriundi, etiamnum in Illustrissimo Domûs Olympo per succedaneam Posterorum lucem, gloriæ tenent meridiem. Illud solùm non sine omine factum memoro, quòd Gentilitias Ceras Vicinior posthumis Sæculis GRZYBOWSCIANI Generis Author, non alijs conglutinari, quàm Principum Ducumq; Masoviæ sit passus Ceris, Unus & ipse è Triade Prussorum Fratrum Principum Princeps. Nempè jam tum documento Posteris erat, quantam gloriæ messem Secuturis relinqueret Nepotibus, ad quam è Martis campo strenuum sub CASIMIRO agens Ducem contra Maslaum, Masoviæ Principem, Heroo sudore & Sanguine irrorato, colligendam, binas adsciverit falces, cùm una non sufficeret. Ita jam tum tantâ meritorum fulsit serenitate, ut perpetuam succedaneis ætatibus daturus æstatem, omnia statim augusta, omnia matura falci relinqueret. Imò Suis jam ipse quà bello quà pace partis, non suffecturus metendis palmis, posteris reliquit Falces, quibus illas in Coronam sui meterent Nominis. Marti certè extortas crediderim Falces has, cui per limites Patriæ falcato curru non sine Civium grassanti cæde, invictus ille eripuit Heros, ut innocentiùs vehi doceret. Prima hæc cum adscititijs Falcibus Crucis Suæ fœdera, in tot demum Principum Familiarum decora, velut in suam messem misêre Falcem, quotquot GRZYBOWSCIANIS Ceris, unà cum suis splendoribus adhæserunt Ceræ. Nimirùm LIPSCIORUM, OSSOLINSCIORUM, KAZANOVIORUM, GULDENSZTERNORUM, KUKLENSCIORUM, KRASINSCIORUM, OLECCIORUM, CZARTORYSCIORUM, SAPIEHARUM, CIECISZEWSCIORUM, GORSCIORUM, WOYNARUM, RADIWILIORUM, DOROSTAYSCIORUM, TYSZKIEWICIORUM,

CIORUM, DANIŁOWICIORUM, WOŁŁOWICIORUM, KURCZORUM, SWERINORUM, POTOCCIORUM, NARZYMSCIORUM, NIEDZIAŁKOWSCIORUM, LASSOCCIORUM, ZABICCIORUM, PRAZMOWSCIORUM, OBORSCIORUM, SWIDZINSCIORUM, KOZYRSCIORUM, OKĘCCIORUM, KIERDEJORUM, KOMOROWSCIORUM, TĘGOBORSCIORUM, KARSCIORUM, ZIELENSCIORUM, KRYSCIORUM, PARISSORUM, & Sexcentorum aliorum, quos non niſi Stellarum Planetarumq; numero complecti liceret, qui in uno GRZYBOWSCIANI Nominis Zodiaco continentur: per quem Avita Domus Solis inſtar hactenus non ſine gloriæ ſplendore decurrit, decurretq; tamdiu, donec *per faſtos numerantur Avi, ſemperq; renata Nobilitate virent, & Prolem fata ſequuntur.* Sequentur autem ſemper, utpote contra quorum invidam Falcem, geminæ ſub victorioſo Crucis Labaro, militant Falces. Quòd ſi & tempus ſuam opponat falcem, armata gladio retundet manus. Quanquam veriùs credo, tam Libitinæ, quàm temporis falcem Vobis concreditam eſſe, ut non illorum arbitrio, ſed Veſtrâ Virtute ad nutum arceatis fata. Jove ſe aut Marte, aut Sole natos fabulosè jactabant multi, in quorum geſtis nihil, præter meras fabulas reperit Antiquitas; Vos citra ullum commentum *documenta datis, quâ ſitis origine nati.* Illâ nempe, quæ vel ipſi Saturno, Deorum licèt Parenti, temporis præriperet palmam. Non ænigma narro, cùm aut Avitas Falces Veſtras inter Sidera relatas, aut Sidera in Veſtris reluxiſſe cenſeo. Scilicet & in aſtris eſt ſuis falcibus locus, quas inter Stellas numerant Aſtronomi: Quaſi Cœlo terriſq; militaturæ, utrumque cardinem jure quodam ſibi vendicarent. Enim verò, ſi Aſtronomicum Archimedes tubum in Veſtras fixiſſet Falces, tot lucidiora certè advertiſſet aſtra, quæ ſuis, non mutuatis à Sole fulgent ſplendoribus, quot Heròés, imò Heroum Soles, non ſine admiratione ad calculum revocâſſet. Eum quippe

Virtutis, an Fortunæ ordinem Domi Veſtræ fecêre Superi, ut omnes pænè ante ortum Illuſtriſſimi, aut Soles appareatis, aut Sidera, digna, quibus ad publicæ lucis ſerenitatem primus ſemper in Cœlo Patriæ concedatur locus. Nimirùm Virtus Veſtra naturæ prævertit ordinem, quæ nil magnum repente dedit. In Auroræ faſcijs puſillus apparet Sol, antequam ad eam excreſcat magnitudinem, quâ totum occupet Orbem. Tenuibus rivulis veluti infantilibus lachrymis infantiæ ſuæ illachrymantur flumina, antequam ingentibus ſuſtentandis navibus, pares acquirant vires. Inter humiles Myricas ſerpit Cedrus, antequam nubibus inferat caput. Adultæ meſſi præludit gramen, vile folium roſis, nihilq; ſe totum repentè prodit. GRZYBOWSCIANO Nomini velut è Cœlo deductâ origine, totus ſe ſimul Illuſtriſſimæ Domûs infudit ſplendor, ut quod de ſuis natalibus ſuperbè jactabat Commodus, ſe non viſum à Sole, niſi in purpura, id citra aſsentationem de Vobis dici poſſe, in ipſis Lucinæ cunis, Vos, aut purpuratos, aut purpurâ dignos videri & eſſe. Laudo quidem illorum genium, qui ſuæ plus Virtuti, quàm Majorum debent Fortunæ, illo pro teſſera uſi: *Noſtra nos clarat virtus, & ſuo quondam generoſa plauſu acta.* Nec illud negare auſim, è tenui caſa conſpicuos Orbi prodijſſe Piaſtos & Catones, à ligonibus Marios, & pleroſque, quorum

Nemo Lucinæ meritis onuſtos

Debuit annos. (Ines.)

Cæterùm ut fatales Cometas, ita hæc repentina Phœnomena non ſine terrore ſæpè præter, aut contra naturæ curſum ſubitò erupiſſe indoluit Orbis, ſub Tamerlane, Attila, cæterisque. Illud tamen Orbis totius experimento compertum comprobatumq; eſt: *Fortes creari fortibus & bonis, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.* Et quod fortuita ſors in alijs, in his naturæ ordo quidam facit, ut Sol non umbras, ſed vel diem, vel ſui vicaria generet aſtra. Atq; hæc eſt Domûs GRZYBOWSCIANÆ

ſeries,

ſeries, ut forti ſuccedat fortior, bono melior, Illuſtriſſimo Illuſtriſſimus, quaſi unus omnium in ſe congeſſiſſet decora, quæ diviſa beatos efficiunt alios. Tales Tui fuêre Majores, PERILLUSTRIS CAPITANEE SULEJOVIENSIS, ut ſi illorum imaginem pingere vellem, pro coloribus lucem, pro penicillo radios, pro prototypo Solem proponerem. At ne ſic ſatis Nobilitatis Tuæ adumbrarem Ideam. Nam & Soles ipſi interdum patiuntur ecclypſim, vel extincta luce dum noſtrum linquunt Cœlum, nil niſi tenebroſam noctem, aut exiguæ duntaxat lucis aſtra pro excubijs Cœli relinquunt. ILLUSTRISSIMÆ DOMUS TUÆ Heroës nunquam toti nobis occidunt, quin poſt fata etiam parilito Sanguinis ſplendore præluceant Patriæ, foveant Cives, illuſtrent Senatum, accendant Ceras, ſerenent Univerſos, ſemperq; pro Caſtore ſuccedat Pollux. Deſiêre inter mortales, aut veriùs diſparuêre, ut inter Numina apparerent, *Illuſtriſſimi* JOANNES GRZYBOWSKI, *Caſtellanus Lublinenſis*, Tritavus Tuus; Proavus *Capitaneus Varſavienſis*; *Dapifer Nurenſis* Avus Tuus; *Capitaneus Sulejovienſis* Genitor, (ut reliquorum Sacris parcam Cineribus, quos in Sacrario æternitatis poſthuma recondit gloria). At horum damna non ſine fœnore gloriæ reſarciunt ſuperſtites Poſteri, *Illuſtriſſimi* inquam *Caſtellanus Inovladislavienſis*, *Vexillifer Czyrſcenſis*, Avi Tui, STEPHANUS, *Pocillator Nurenſis*, in quo utpote germano Fratre *Genitoris Tui*, imò totius Domûs dotes velut in compendium collegit Virtus, ut quidquid in illis ſive Gradivus in campo, ſive in Sacrario libertatis Conſus, ſive in publicis functionibus deſideraret Mercurius, in hoc uno habeant quod ſuſpiciant; CONSTANTINUS, re & nomine Victorioſus, individuus Poloni Martis comes; ANTONIUS, *Dapifer Czyrſcenſis*; JOSEPHUS, *Caſtellanides Inovladislavienſis*. Ita quod Mari commune, idem Illuſtriſſimo Sanguinis Veſtri Oceano, utcunq; per innumeros ſeſe dividat fluvios, quaſi nil ſibi deceſſiſſet, minimè à ſua decreſcit magnitudine. Nempe etiam

pe etiam tum, dum unâ à se recedit mare per tot minorum fluminum sparsum alveos, alterâ se reparat parte per tot fœderatorum amnium conjunctionem, qui in id unum quasi conspirant, ne suo Nereo desinat magnitudo, à quo primam hauserunt originem. Et in Vestræ Domûs Erythren, plenis undiq; Illustrissimus Sanguis influit alveis, tot fœderatarum, per Consanguinitatis nexum Familiarum, quarum innui tantùm decora, cùm omnia recensere non valeam. Alibi fallunt Pythagoræ dogmata & fabulosæ Metempsychoses; ast in Avitis Domibus perpetua hæc est animorum transmigratio, ut non imagines tantùm Majorum in Ceras, sed & animi in Posterorum quodammodò immigrent indolem, in qua velut in speculo etiam post fata relucent. Quòd ne quis in dubium vocet *Tuam Indolem* PERILLUSTRIS MECÆNAS, censorio inspiciat oculo, & nisi publicæ de Te spei injurius esse velit, non invitus, nec sine lætitiæ sensu ad magna Natæ Indoli accinet cum Vate:

Felix illa dies, totumq; canenda per Orbem,
Quæ Tibi vitales cùm primùm traderet auras,
Contulit innumeras, intra tua pectora, dotes. (Lucan.)

Sudabunt olim in Tuis Laudibus Oratores, laborabunt pennæ, sciscitabitur curiosa Posteritas:

-- -- -- *Quæ Te tam læta tulerunt*
Sæcula, qui tanti talem genuêre Parentes? (Æneid. 1.)

A teneris unguiculis jam in Te proditur PARISSORUM Leo, quantam spiret magnanimitatem, quam cum Materno suxisti lacte, imò cum Sanguine accepisti. *Nôrunt certè cui serviant Leones.* (Martial.) Novit PARISSORUM Domus, quem sinu foveat Leonem, illum nimirùm, qui meliùs pro publica felicitate, quàm pro aureo Vellere insomnis excubat Draco. Leo hic Cœlesti splendore notatus, vel ipsis Superûm expugnandis par affectibus, pridem intra Solis admissus conclave, ad quantos Cœlitum admissus honores, palam est, qui ita suum illi partiti sunt

jubar,

jubar, ut si hunc tollas è Zodiaco, Solem è Cœlo sustulisti. Nimirùm suæ Majestatis securitatem Cœlestis ille Planetarum Rex nulli tutiùs concredere potuit, quàm Leoni; ut jam quò propior sit huic, eò sublimiùs emineat, ubi deserit Leonem, sensim & ipse sua minuatur serenitate, breviùsque dominetur Orbi. *Materni Leonis Tui*, PERILLUSTRIS CAPITANEE, genuinus Genius est, qui ad publicam natus lucem non alibi, quàm inter honorum splendores suum fixit Zodiacum. Hinc, quotquot PARISSORUM Nomina, veriùs Togæ Sagiq; Numina numeravit Lechia, tot sui Cœli Soles in Leonis Signo stetisse credidit, qui Patriam meritis, pietate Religionem, fortitudine Martem, suammet Domum Gentilitijs Decoribus illustrârunt. Quis enim sine grata memoria illos recenseat, quorum Avitus Leo non aliam prædam, quàm animorum & affectuum agere consuevit. Quid igitur mirum, quòd ipsæ Dignitates pæne festinatis passibus, ultrò ad eos, tanquam ad immortale Sacrarium properarent, tanquam de Nobili certarent palma, si quæ illarum prior tantorum Heroum occuparet manus. Vix ullæ Masoviæ Curules, vix ulli, imò nulli fasces, nulla honorum insignia sunt, quæ sub hoc Leone securam sui non haberent custodiam. Sed parco illorum laudibus, quibus pro encomio illud unicum plus quàm satis est, quòd de HIERONYMO PARISS, *Palatino Masoviæ*, ad Posterorum memoriam relictum, sera leget Posteritas: *Tu, Majoresq; Tui, omni in memoria Senatores laudatissimi, Catholici semper fuerunt, & Tu demum ijs praees, qui Avitæ Catholicæ Religionis Aßertores maximi sunt, & toto Regno illam unam Provinciam Masoviæ hoc errore Sæculi ab hæresi immunem conservârunt.* (Christoph. Warszawicius in Orig. Polon. apud Okolsc. Tom. 2.) Quæ sola laus omnium laudum apex est. Felix tanto præsidio Masovia! Felix fuisset & Lechia, si hunc Orthodoxæ veritatis Assertorem Leonem (unde & Nomen Patrium PRAWDZIC adhæsisse credo) ubiq; haberet pro excubijs, nunquam pro-

fectò tot Hæresum numeraret monstra Patria, quæ candidæ Aquilæ suæ tot atras inspersêre maculas, vix sanguine eluendas. Stetissent certè immoti pro fide VENCESLAUS *Castellanus Varsaviensis*, JOANNES *Tribunus Varsaviensis*, ADAMUS *Capitaneus Czyrscensis*, idemq; posteà *Varsaviensis Castellanus*, SIGISMUNDUS itidem *Castellanus Czyrscensis*, ADAMUS *Canonicus Cracoviensis*, & ipso Nomine FELIX (ut cæteros taceam) *Castellanus Lublinensis*, Genitor Perillustris Genitricis Tuæ, Tuusque Avus, PERILLUSTRIS CAPITANEE. Stetissent inquam immoti, si in suppetias cum suo Leone Orthodoxæ vocarentur Religioni. Sed temporum succensendum ignaviæ, quòd ut pro Masovia, ita pro toto non steterint Regno contra Hæreseon hydras, non verò illis, quibus non animus defuit, aut robur, sed sola occasio, suum in certamen committendi Leonem,qui ut ore mordicùs tuetur in Patrio idiomate veritatem, ita ab erroribus facilè eandem vindicâsset; de quo id unum dixisse sufficit, parem hunc esse Orbi Leonem, utpote quem unguibus gestat, itaq; hic ipse circulus in æternitatis Coronam PARISSIANO cedet Nomini, quòd in *pientissima Parente Tua* EUFEMIA non tantùm Avito Sanguine, sed etiam vivis Pietatis Virtutisq; characteribus adeò distinctè exaratum cernimus, ut hâc solâ visâ Omnium sese ANTECESSORUM Pietas Virtusq; primo statim offerat cuique obtutu. Atq; Tuæ hæc sunt Indolis Coronamenta MUNIFICENTISSIME MECÆNAS, quæ de Majoribus adduxi Tuis. Tuæ Virtutis incitamenta, quæ hîc lêgentur, tritâ viâ Sanguinis in Te hæc omnia redeunt, quæ à tantis Heroibus promanârunt. Habes Majorum Tuorum in Tuis Ceris adumbratam imaginem, quam non otioso tantùm venereris cultu, sed in capacem transferas Indolem, velut in candidam telam, cui tot spes de Te publicas & vota ipsius naturæ artificio Illustris intexuit Lucina. Quòd si altiora Tuus spirat animus, etiam in Cœlo Tui Sanguinis invenies imaginem, sed jam Sanctioribus dicatam Aris,

in B.

in B. STANISLAO KOSTKA S. J., ut totius Regni, ita à potiori Domûs Tuæ *Tutelari*. Altiùs illum quidem Sole suâ provexit Virtus, Maternam tamen ejus, Tuamque si spectes Lineam, vix sexto à Te distat gradu,; si ætatem, vix aliquot annis; si Sanguinem, ejus non postremam particulam in Te reperies, quam ex DOROTHEA KRYSKA, Avia *B. Juvenis*, per FELICEM ZIELENSCIUM in PARISSIOS, in Te tandem deductâ serie à *Perillustri Genitrice Tua*, utinam quàm diutissimè Superstite, EUFEMIA PARISSOWNA, *Castellanide Lublinensi* derivatam, ex monumentis *Illustrissimæ Domûs* PARISSIANÆ accepimus. Hinc ille *Avitæ Domûs*, hinc *Pientissimæ Parentis Tuæ* in minimam Societatem affectus, quasi per *Sanguinis* descensum innatus. Veluti *Divus* ille, cum tanto discrimine quæsitam Religionem diu in terris amare non posset, eandem, transfuso in Suos *Posteros* amore, hactenus complecteretur. Aut illi brevem *Prædecessoris Sui* inter mortales affectum erga eandem suo ut par est *Nomini* addictissimam Societatem ultro suppleturi susciperent. Utut sit satis documenti, quantum illis est cordi Virtus, quantum Sanctitas, qui unde in suum hæc profluxit *Sanguinem*, Sanctiori originem prosequuntur benevolentia. In Te hic splendor reflectitur PERILLUSTRIS MAGNIFICA DOMINA VEXILLIFERA WYSZOGRODENSIS. In cæteris *Domûs Tuæ* Majoribus, *Avitus* LEO Leonis retinet naturam; ast in Te Nomen tantùm, cæterum Agnus est, totus Aris dicatus. Quanquam si pro Aris, & hic LEO, Agnus si ad Aras. Jovi Pòëtarum Commentum Sacros voluit esse Leones; *Gentilitius* LEO *Tuus* non jam fabuloso Jovi, sed Sanctiori Numini semper Sacer fuit, ut qui nil præter pietatem vel in Te ipsa spiret, cujus vicem relaturi Superi, plures in Te dotes, quàm in commentitiam Pandoram sufudère Dij. Si Te illa haberent Sæcula, Tua illa virili in agendo prudentia, in loquendo cauteiâ, erga amicos comitate, erga hospites humanitate, erga omnes benevo-

 lentiâ

lentiâ obſervatâ, ſuæ jam puderet Pandoræ, dum quod in ea fingerent, in Te velut in Iliade id totum collectum ſtuperent. Quis itaq; mirari audeat, quòd tot Tui Competitores habuiſti in Conſortem, cùm nullus tam improbæ mentis eſt, cui virtutis amor non occupet pectꝰ. Sed nulli meliùs nubere potuit Virtus quàm Virtuti. Te intelligo *Perilluſtris Magnifice Domine Vexillifer Wyſzogrodenſis*, qui ut in Te, ita in *Conſorte Tua* nihil magis quàm Virtutem adamâſti, quod ipſum Virtus quoq; eſt, omnia Virtuti poſthabere. Abſit invidia verbo, qui Te nôrunt & Illam, ultra omnem aſſentationem affirmare audent, quòd nec Illa Te ſibi meliorem optare potuerit *Maritum*, nec Tu meliorem Illâ *Conjugem* Tibi invenire. Implent quidem cæteri Pòétæ monentis oraculum: *Si quâ parte velis nubere, nube pari:* ſed tum ſe huic ſatisfeciſſe jam monito putant, cùm aut Fortunam, aut Sanguinis claritatem æqualem repererint; minùs de Virtutis ſolliciti conjugio, quo tamen niſi copulentur connubia, rarò alia ex illis ſperanda proles, præter diſſidia & diſcordias. Vetuſtos ſplendores *Illuſtriſſimæ Domûs* PARISSOVIANÆ & GRZYBOWSCIANÆ ſpectâſti in hac pagina, ſed nec Tu minores ſociâſti illis, aut veriùs jam pridem per KRYSCIORUM Sanguinem ſociatus ad augmentum ſplendorum acceſſiſti. Ea namq; ſemper STAMIROWSCIANÆ Virtutis enituit dexteritas, ut accepta à STAVISSIO, Polonorum olim *inviĉtiſſimo Heròë* decora, per tot Sæcula ab Anno plus quàm 1022. ſemper in majus promoveret, donec ad illam gloriæ perduceret augen, in qua nunc PUŁKOZICIORUM ſtetit Nomen, quod ferè idem eſt cum LIGĘZIIS. Quorum merita in Eccleſiam & Patriam vix ipſa capiunt Volumina. Sola quippe bonorum ſortitio STAMIROWSCIANAM à LIGĘZIIS diviſit *Domum*. Utriusque, vel potiùs unius ſub utroq; nomine, *Illuſtriſſimæ Familiæ* ſi geſta memorare vellem, non has anguſtas paginas, ſed integram STAMIROWSCIANIS *Laudibus* fatigarem Panegyrim. (Nam ut reliqua,

liqua, quæ ſub pacis olea æternæ inſculpenda memoriæ geſsêre *Anteceſſores Tui*, taceam) Soli Marti fœderata Nomina laſſarent pennas. Nimirum JOANNES, HIERONYMUS, STANISLAUS, germani tam Sanguine quàm Heroa fortitudine *Fratres*, quorum primus non Patriæ tantùm ſub Gradivi Signis litavit Sanguinem, ſed per exteras quoq; Nationes victricia circumtulit arma ſub MATHIA *Hungariæ Principe*, à quo Præfecturâ Stabuli ob eximia donatus merita, docuit anguſtam eſſe Heroum virtutem, quæ ſolis Patrijs clauditur limitibus. Et ne Heroæ fortitudinis imitatrix deeſſet poſteritas, ſuppares ſuo Gradivo reliquit bellatores, DANIELEM, THOMAM, GEORGIUM, qui ad Egram in Hungaria, maxima Martiæ indolis dedêre ſpecimina. Alter plurimis expeditionibus ſub JAZŁOVIECCIO, Supremo Exercituum Duce clariſſimus, avitam pari ſplendore illuſtravit Domum. Quid memorem reliquos, JACOBUM, VLADISLAUM, LAURENTIUM, ANDREAM, JOSEPHUM, MARTINUM, STAMIROWSCIOS, quorũ alij ſub LUCÆ ZOŁKIEVII *Capitanei Caluſſienſis*, alij ſub MARTINI KAZANOWII *Campi Ducis* labaris, Hungariam, Valachiam, Moſchoviam victorijs peragràrunt, & prodigè fuſo cruore non ſine poſthumæ famæ mercede meruêre ſtipendia. At verò ANDREAS cum SIMONE MOHYŁA *Palatino Moldaviæ*, dum ſæpiùs Turcicæ Lunæ fatigat cornua, docuit, quid ſit non ſine victoria vinci, caſibus ſtare, erigi ruinis, & ipſa morte adire immortalitatem, quam proprio ſibi tranſcripſit Sanguine. Reliquos fida recenſebit poſteritas, quos anguſta non capit pagina STAMIROWSCIOS, quorum omnium in Te uno redivivos ſpectare licet ſpiritus PERILLUSTRIS MAGNIFICE DOMINE VEXILLIFER. Quidquid illi Sago vel Togâ geſsère glorioſi, in Te uno ea relucent omnia, cui ſucceſſionis jure ſuam tranſcripsêre famam. Verùm Tu non ignarus, quòd

Tota

Tota licèt veteres exornent undiq; Ceræ
Atria, Nobilitas sola est atq; unica virtus. (Juven.)

Imò certum habes -- -- *quod perit in illo*
Gentis honos, cujus laus est in origine sola. (Lucan.)

Mavis Tuis eminere factis, quàm solis Avorum Armis propriam tueri gloriam. Idcirco plures eligis sub Tuo labaro militare virtutes, quàm Majorum numerare imagines, quarum in Te, nostris Sæculis genuinum exhibes prototypon. Nolo Tuæ pluribus modestiæ injurius esse, illud tantùm suspicio, quòd non sine Numine Divûm, post auspicatam nuper Hymenæi pompam, cum PERILLUSTRI CAPITANEA SULEJOVIENSI tantæ ac tantis

Fascibus insignes, & legum culmine tutæ
Convenêre Domus,

in quibus non nisi virtus, gloria, perennisq; habitabit fama, quæ Nomen Vestrum olim inferat astris. Tuæ hæc sunt emolumenta gloriæ, PERILLUSTRIS CAPITANEE SULEJOVIENSIS, ad Tui Nominis honorem tot Sanguinum nexibus colligati assurgunt Manipuli, qui Te suum stipent JOSEPHUM. Habes quod imiteris, habes unde ad culmen perennaturæ famæ connitenti invenias stimulos, quos ad Nominis petram PERILLUSTRIS VEXILLIFERI vicem nunc Genitoris gerentis, acues, sub cujus Signis centuriati meritorum Manipuli Tuo jam nunc junguntur Manipulo. Nam ego quibus jam ampliùs *Illustrissimæ Domûs Tuæ* Natales attollam encomijs, non reperio, quæ seipsa sustulit super Sidera in tot Tuis Antenatis, à quorum Umbris sereniores Tibi fluent Soles; dum Majorum Tuorum decora in Tuum transferes animum, avitisque Ceris Tuorum olim lucem addes meritorum, cujus non exigui in Te jam sese passim produnt igniculi, ut parem illis in Te excitent gloriam & accendant. Polonæ enim commune id, at GRZYBOWSCIANÆ etiam innatum indoli, quod

Nequit

Nequit ſub ipſis gloria faſcijs
Latere, formoſamq; pulchris
Invidiam coquit in medullis.
Avita virtus, neſcit idoneus
Tepere parvis candor in artubus,
Primoq; vagitu Polonis
Eſſe licet generoſiores. (Ines Ode 66.)

Jam in prima ætatis aurora innubem portendis Heſperum, jam ex ungue Maternæ Stirpis appares Leo, jam ad auream gloriæ meſſem Avitas acuis Falces, jam cum Crucis Signo teneræ pietatis attollis indicia, jam armatam manum porrigis ad magna, eaque in Avitis Ceris futuræ Virtutis Tuæ honeſtiq; ponis lineamenta, ex quibus quantus futurus ſis, non vanos tot Augures habes, quot Tuæ indolis curioſos inſpectores, qui jam id tacitis de Te muſſitant votis: *Ille nativos animabit auſus,*
Ille vernantes cumulabit olim
Patriæ lauros, memoresq; laudum
Eriget horas. (Ines Ode 63.)

Quod ut è voto Patriæ cedat,

Dij probos mores docilis juventæ provehant in melius, donec cum corpore mens creſcat ad ardua, cum annis virtus, cum viribus merita, cum tempore honor, ut quidquid in Tuo animo, ſive Materna ſollicitudo, ſive pervigil Palladis cura inſeverint, Tu plenâ *poſtmodò Falce metas.* (Ovid. 14. Metam.)

APODOSIS PHILOSOPHICA.

SAturno ideo falcem Antiquitas tribuit, quòd temporum ſæculorumq; ſit Præſes. Certè Antiquitate ſuâ Logica ſuperat Saturnum, utpote quam non fabuloſus Pòëtarum partus, ſed primus Author naturæ unà cum primo Protoplaſte noſtro edidit in lucem. Si verò Platonicis credere fas eſt, qui Mundum ab anima quadam regi exiſtimabant, idcirco regnum Saturni rationale, uti regnū

Jovis

Jovis, regnum animæ ſenſibilis dixêre, (*Mſſ. in Spec. imag. c. 22.*) intellectum humanum utpote hujus regni hæredem Saturnum appellare liceat. Saturnus Romanis veritatis parens creditus, idcirco non aliter ei ſacra, quàm detecto capite facere ſolebant, quòd veritas diu tecta latere nequit, (*Plut. in quæſt. Rom.*) quod ſoli intellectui proprium eſt, qui in veritatem, velut in propriam ſobolem, eo fertur affectu, ut nullo conatu ab ea dimoveri poſſit. Saturno offerebantur capita & ora hominum. (*Polydor. l. 3. c. 1. de rer. invent.*) Cui verò majus in caput jus & ora Sapientûm, quàm intellectui competit. Nihilominus niſi in conſortium rationalis regni admiſiſſet Logicam, ſæpiùs pro veritate falſitatem pareret. Hæc enim cùm ipſum regat intellectum, reginæ & ipſa in regno rationali merito vendicat nomen, ita tamen, ut nec ipſa regi dedignetur, quod eximiæ virtutis eſt. Nempe

Qui regit & regitur, rectiùs ille regit. (Maſs. in font. arg.) Ut Saturnus ergo, ita etiam Philoſophia rationalis, & intellectus habet ſuam falcem, quam tamen in alienam meſſem non mittit, cùm omnia ſua ſint. Prima operatio falx quædam eſt mentis, quæ, quidquid ſenſibus ingeritur, apprehendit & metit. Adeo verò ſubtilis aciei eſt, ut non flores modò, ſed adamantes & lapides ſcindat, nec tamen hebeſcat. Falx diſcretiva eſt unius rei ab alia, idem primæ operationi commune, imò hæc ab una re plures diſcernit. Itaq; ut Meſſoris Falcem perita manus, ne urticas pro floribus & gramine metat, ita Logica primam intellectûs operationem dirigat eſt neceſſe, ne quid pro quo apprehendat. Unde ſequentes deduco

CON-

CONCLUSIONES.

I. LOgica eſt Scientia ſtrictè, directiva operationum intellectûs, eaque ſpeculativo-practica.

II. Objectum ejus materiale ſunt omnes res in communi, formale verò tres mentis operationes.

III. Eſt virtus, idq; ſecundùm omnes ſui partes.

IV. Diſtinctio realis conſiſtit in ipſis entitatibus rerum.

V. Inter gradus Metaphyſicos datur præciſio objectiva, perſectè præſcindens unum gradum ab alio, per quam fit & univerſale.

VI. Oculus corporeus præſcindere nequit.

DISCVRSVS SECVNDVS
DE CRUCE.

OMnibus quidem Gentilitiorum Armorum Ceris suus debetur cultus, utpote quibus vel fortunæ, vel Heroæ Virtutis, vel Sapientiæ impressa est Imago; Cruci tamen tantò major, quantò majus illi ab ipso Authore omnium decorum & splendorum pretium inditum est. Terrenorum Principum favor cæteris cudit arma, sed quibus solam quandoq; Fortunam, non Virtutem tuentur multi; imò ijsdem sæpiùs Virtutem jugulant, dum pro suo Sanguine ultra quàm fas est decertant. Cruciorum Familiæ non nisi sola Virtus suæ gloriæ faber est. Nempe cui Virtutum Dominus, & ipsius Rex gloriæ Victricia Crucis contulit arma, quæ soli Virtuti militant. Ac proinde vel ab ipso Authore majorem sortiuntur honorem. Veteribus quidem Gentilibus Crux probro erat, nec nisi infelicitatis tessera. Hinc Athenienses eorum, qui infelici perierint morte, tumulos notabant Cruce, (*Suidas.*) quasi umbris tantummodò, non luce digna foret. Verùm postquam in triumphale labarum Authori Vitæ cessit, tantum lucis intulit mundo, quantum vel ad ipsas illustrandas Majestatum Serenitates plus quàm satis est. Crux namq; modò eminet in Regum Verticibus, fulget in Coronis, triumphat in armis, utpote certioris victoriæ omen, quod sub Crucis præsidio, plerisq; cum Constantino datum: *In hoc Signo vinces.* Ut non immerito Cruci inscripserit quispiam:

Hic decus, & factis seges, hic uberrima vestris,
Laurus, & hic vero Principe digna viret.
Hîc Aquilæ cessêre Cruci, vastumq; per Orbem
Crux est Augustis gloria prima Viris.

(Joan. Boch. ad Princ. Christianos in Lipsio.)

Hæc fortitudinis index, victoriæ prodroma, Heroum Cly-

peus.

peus. Unde Constantinus post triumphatum opê Crucis Maxentium, in trophæum eidem erectæ inscripsit: *Hoc salutari Signo, veræ fortitudinis indice, Vrbem vestram vindicavi.* (Roman. alloquitur.) Theodosio verò cum Eugenio Tyranno Signa collaturo, dum belli Duces Principesq; differendum suaderent prælium, ob innumeras hostis copias, respondit: *Absit, agimus, Exercitui meo Crux præit, illius copias Hercules ducit*; secutus præeuntem Crucem, & victoriam assecutus. Quidam verò Cruce pro Clypeo usus, illud pro Lemmate inscripsit: *Assueta triumphis*. HincD. Enno:

At mihi Crux Cuspis, Crux Scutum, Cruxq; Corona,
Hâc legar, hâc feriam, hâc & pacis fœdera firmem.

Isabella, Sigismundi I. Regis Poloniarum Filia, Hungariæ Regina, à Solimano Turcarum Imperatore armis adacta, dum Ferdinando Imperatori Romano ex pacto Coronam Hungariæ non sine lachrymis, quibus suam & Filij, necdum Sceptro maturi, sortem deflebat, porrigeret, accurrit dilectus filius fletûs causam Materni investigans: cui illa illachrymata inquit: *ô Fili, Fili, & quomodo lachrymis temperare possim, quæ mihi & tibi omnia amisi, & quod ultimum restabat solamen, Coronam reddo.* Filiolus fato quodam lapsam è Corona Crucem quam invenerat, depromens, sic Matrem affatur: *En ô Mater, pars potissima Coronæ in meis mansit manibus, non desperandum.* (Bielscius fol. 596. apud Okolsc. Tom. 1. fol. 124.) Quòd si Regalis Coronæ pars potior Crux est, quidni in Gentilitijs Cruciorum Stemmatibus Avita Crux Principem vendicet locum. Via Crucis via lucis est, (*Apel. Symb.*) in qua Avitæ Domûs uberior radiat splendor, cui venerabilior *de Cruce surgit honor.* (D. Venant.) *Ex radijs lux nata Crucis*, (D. Atrat.) Nullibi illustriùs, quàm in Prussorum ardet Ceris, quas Crux ad alta vehit. (*Damasus.*) Divo Maximo Crux Virtutis propositum, & meta est, huc dum Heroum collimat animus, *quo natura negat, Crux facit ire viam.* (Venantius.)

APODOSIS ETHICA.

Ardua Virtutis via est.

STоicorum opinio erat, *homines omnes per naturam ad solam Virtutem esse proclives; vitium extrinsecus accidere, nullamq; radicem & semen, in nostris animis per naturam possidere.* Præsertim cùm ea boni conditio & natura sit, ut expetatur ab omnibus, Virtute autem quid melius. Iisdem suffragari videntur & Academici, qui perinde se habere hominem ad Virtutem dicebant, ac se habet ad Scientiam. Cùm itaq; omnes naturaliter scire desiderant, per consequens per naturam ipsam ad bonum & Virtutes procliviorem esse hominem, quàm ad vitia. In quod autem fertur natura, faciliùs consequi potest. Attamen quàm id alienum sit à veritate, præter quotidianam experientiam, communis omnium consensus est. Oppositum vel inde colligere fas est, quòd omnes naturæ quâdam propensione ardua fugimus, sectamur facilia. *Descensus ad vitia facilis est & jucundus, ardua sensuiq; molesta est via Virtutis.* (Picolom. cap. 5. de Virtute.) Hinc illa veterum, recentiorumq; testimonia Pòëtarum: *Facilis descensus Averni, sed revocare gradum, superasq; evadere in oras, hic labor, hoc opus.* (Ovid.) Et alibi: *Difficile, fateor, sed tendit in ardua Virtus.* (Idem lib. de Ponto.) Et Plato in 2do de Repub. Pòëtæ canenti subscribit:

Mortales vitium penitus labuntur in omne
Præcipites, quoniam facilis via ducit ad ipsum,
Hoc quia vel nobis jam tum nascentibus hæret.

Rectè Synesius: *Maxima sine labore consequi, proprium Divinitatis est; à nobis autem nedum Virtutes, verùm cætera quoque præclara sudore quæruntur. Ad vitium pervenire facile est, & admodum prope habitat; ante Virtutem autem sudorem posuêre Dÿ, longamq; viam & arduam.* (Hesiodus.) Ardua Virtutem profert via.

Nam

Nam cuivis homini vitium ſeſe oggeret ultro,
Virtutem at poſuêre Dij Virtute parandam. (Sil.Ital.l.11)

Antiquis Virtus credita eſt habitare in rupibus aditu difficillimis & aſperis, in ijsq; ſecretiorem, inſuper & occultum habere locum, quòd nec adire facilè, nec conſpici poſſit. (*Clem. Alex.* 4. *Strom,*) Huc collimat Poloni Vatis judicium: *Vitæ degenerem carpimus orbitam.*
Erramus; procul arduis (Sarbiev. l.
Virtus ſe nimium ſepoſuit jugis. 4. Ode 10.)

Itaq; omnibus ignavis clauſus eſt ad Virtutem aditus. Iter namq; ad bonos mores non otio, ſed labore, & ſtudio, & operâ aperiendum. Magi apud Perſas, cùm Virtutem in nullo ætatis ambitu certam habere ſedem adverterent, rerum omnium Reginam dixére, ideoque exteri hominis habitu, & peregrini imagine donabant, quòd Virtus nunquam otioſa quieſcat. Cæteri armatam effingebant Virtutem, quòd ſine vi, ſine pugna capi non poſſit, nec Soboles ejus gloria ignavis unquam in prædam ceſſit. Anaxagoras, ut Virtutis opus laborioſum exprimeret, Manum Virtutis Symbolum pinxit; quia manus quaſi munus dicitur, quòd aſſiduo labore Virtuti incumbendum eſt. Hebræi pro Symbolo Virtutis Solem proponunt. Sanè non incongruè. Nam ut Solem, ita Virtutem nunquam otioſam videris, aut in ſuo torpentem curſu. In Nummis Veterum Imperatorum pingebatur Virtus Amazonis galeatæ ſpecie cum lancea & gladio, pede altero galeam, altero globum calcantis. Virtutis nempe eſt, & agere, & pati fortia. Cæteri arduum Virtutis expreſſuri iter, pinxêre Olympum, mediam àëris Regionem ſuperantem, quem torrentibus & præcipitijs impeditum horrent multi aſcendere; Alij ſuperâſſe lætantur; in cujus ſuperficie ad Aram Virtutis & honoris Athletæ ſacrificant. Epigraphe: *Supra hyemes Boreæq; minas.* (Bochius apud Maſs, in Spec. Imag. c. 4.) *Vide, quàm altè aſcendere debet Virtus, ſcies illi non per ſecura vadendum eſſe,* ait Seneca de Provid. cap. 5. Et alibi:

 Virtu-

Virtutis est domare quæ cuncti pavent. (in Herc. fur.) Et certè
Explorant adversa Viros, per quæ aspera duro
Nititur in laudem Virtus interrita Clivo.
Adeo non molli, sed asperâ adeoq; Crucis viâ ingredi solet Virtus, ut Virtutis amittat nomen, si ab arduis deflexerit; Nempe
Quæ latet inq; bonis cessat, non cognita rebus,
Apparet Virtus, arguiturq; malis.

APODOSIS PANEGYRICA.

ATque hoc est proprium GRZYBOWSCIANÆ Domûs ad Virtutem iter, per bella, per cædes ab ipso ducere opes animumq; ferro; non molli Sardanapali, aut Sybaritarum semita ad gloriæ contendere metam, per quam solis vitijs trita via est. Arduos ad Virtutem nisus vel ipsa Gentilitia CRUX prodit, quæ Lydius lapis Virtutis est. Nulla quidem obtentu facilis Virtus, ast omnes simul tenere, ac velut uno assequi passu cæteris vix possibile, GRZYBOWSCIANÆ Domûs Heroibus jam ipso usu commune, qui unam, alteramve Virtutem sine alijs, aut nullam esse, aut imperfectam credunt. Dedignati illorum ingenium, qui mille stipati vitijs, si unam sortiantur Virtutem, Cœlo se pares credunt, cùm tamen dissociata ab aliorum consortio utcunq; ingens Virtus, veriùs pallium scelerum est, aut vitiorum custos. In Illustrissima Domo hac nunquam solitariæ incedunt Virtutes, quin juncto fœdere Fortitudo fulciat Religionem, Religio foveat Pietatem, Pietas accendat Zelum, Zelus Superûm Amorem tueatur. Nimirum non est, cur ex medio Illustrissimæ Gentis hujus fugiat *verumque, fidesque,* aut *ultima Cœlestûm terras Astræa relinquat*, quibus sola ferrea ætas locum negavit. Ast verò sub GRZYBOWSCIANIS Falcibus aurea semper regnant Sæcula, quæ meritorum sunt feracissima. Sonat etiamnum Vestræ Veritatis Echo *Illustrissimi Heroës* pro libertate Lechiæ, in tot publicis Regni Con-

Congreſſibus, ad Conſi repercuſſa aures, quâ alteri pro Patria tonabatis Pericles, & feliciùs Gallicano Hercule, aureâ oris facundiâ toties omnium mentes & animos captivâſtis, quoties non tam Terreſtres Legati, quàm Cœlo miſſi Mercurij dicebamini. Nunquam enim liberiori lingua veritas loqui viſa, niſi cùm Vos pro libertate, liberrima facundi oris voce, illud tonaretis:

Quicunq; libertatis olim
Hoſtis erit, ſimul & Polono
Dicetur hoſtis. (Ines Ode 4.)

At verò incorruptam fidem veſtram in Patriam, vel ipſa Gentilitij Stemmatis teſtatur teſſera, in qua armata gladio manus ad nulla paratior bella, quàm quæ pro Orthodoxa fide geruntur & Patria. Eodem gladio, etſi ſuus deeſſet, ſatis ſecura ſtetit Aſtræa, in tot Judicijs, quibus Tribunalitij aderatis Aſſeſſores. Aſſediſtis ad libram juſtitiæ, ſed non priùs animi veſtri deprompſiſtis ſenſa, quàm librato rationum pondere præponderaret veritas. Si *magnos homines Virtute metimur, non fortunâ,* (Cornel. Nepos in Vit. Eum.) qui Veſtræ magnitudinis anceps eſt, tot tantasq; conſulat Virtutes, quas parvi eſſet à Majoribus relictas conſervâſſe, niſi etiam Novis Veteres, quisq; Veſtrûm cumulâſſet. Quanquam rarò Majorum poſteris ſuffragatur Virtus, imò probro non paucis eſt, cùm facilè degeneres prodat. Sed illorum hæc criſis eſt, qui in ſplendoribus Aboriginum ſuas amant tenebras, aliena contenti luce, quam ſi extinxeris, omnem ſimul Poſterorum extinxiſti gloriam. Illuſtriſſima GRZYBOWSCIANA Domus ut ignis augetur ab igne, luce una nutritur lux alia, ita illorum Virtutis ſplendor ab uno reflexus in alium, cumulatior ad ſuum redit principium. In hac Virtutum luce, velut in ſpeculo proderis PERILLUSTRIS CAPITANEE SULEJOVIENSIS, aut veriùs Tu Speculum es, in quod Illuſtriſſimi Domûs Tuæ ſplendores concentrantur, ut olim univerſam effundantur per Lechiam, qui nunc in

ortu

ortu teneræ ætatis nondum plenis erumpunt radijs. Nihilominus ut ab ortu futuræ ſerenitatis auguria non obſcurè capiuntur, & in aurora proditur Sol, qualis in meridie appareat, ita è tenera indole Tua ille ſeſe oſtentat animus, qui ad magna nullis unquam egeat calcaribus. Cœlitùs quippe hæc eſt Virtutibus indita natura, quòd nec ſi velint, latere poſſint:

Eſt vanus labor ---
Celare magnæ velle Virtutis faces.
Excelſa Virtus proditrix ipſa ſui. (Avanc. in Canut.)

Mollem itaq; in Ceris Avorum arripiant cæteri viam, Tibi non niſi prælucebunt illæ, ut arduam ingrediaris ad Virtutis iturus apicem, in quo Te prodroma expectat Fama. Enim verò ſi cui arduum Virtutis iter, aſt non GRZYBOWSCIANIS auſibus, qui toties *negatâ tentant iter viâ.* Sequere & Tu magnis paſſibus! imò verò ſequeris, donec in apice olim meritorum, honoris, gloriæq; conſtitutum, uti Illuſtriſſimos Prædeceſſores Tuos, ita

Et Te per populos garrula differat
Bigis gloria candidis,
Et ſeris recinat Fama Nepotibus. (Sarbiev. l. 2. Od. 9)

APODOSIS PHILOSOPHICA.

CRux alijs eſt Philoſophia Regum, alijs Veritatis Magiſtra. (*Chrys. & Andr. Archiep. Creten. de Cruce.*) Cæterùm ipſa Philoſophia Crux eſt, præſertim Rationalis, quæ non ſine mentis cruciatu inter tot Logices diſcitur ſpinas. Habet enim vel ex ipſa Porphyrij Arbore tot Cruces. Crux prodroma judicij eſt. Etiam Philoſophicum judicium non una præcedit Crux, in quam ſæpius agitur Veritas. Imò nec inveniri alibi faciliùs poteſt, niſi in Cruce, quam ex contradictorijs & æquipollentibus propoſitionibus ipſe ſibi Rationalis fabricat Philoſophus. Ita Rationalis quoque Philoſophia inter præcipua ſuæ Nobilitatis Stemmata, ubi primùm ad judicium deſcendit,

ſcendit,

ſcendit, Crucem gerit, quam in ipſa Dialecticès adoleſcentia ſuis præfigit Ceris, atq; ideo in ſolo Philoſophico judicio invenitur Veritas. Hinc ſequentes deduco

CONCLUSIONES.

I. VEritatis complexæ non eſt capax prima mentis operatio, ſed propoſitio.

II. Ex duabus Contradictorijs neceſſariò una eſt vera, altera falſa; ideoq; propoſitiones de futuris contingentibus ſive conditionatis, ſive abſolutis, ſunt determinatè veræ vel falſæ.

III. Propoſitio ſemel vera non poteſt tranſire in falſam, nec è contra.

IV. Veritas propoſitionis conſiſtit in actu & objecto taliter ſe habente.

DISCVRSVS TERTIVS.
DE GLADIO IN MANU ARMATA.

GLadij inventorem Vulcanum tradunt Pöëtæ, qui primus adamantinum gladium obtulit Perseo, quo hic Andromedam, Cephei Filiam, à bellua marina tuitus est, eodemque Medusam, unam ex Gorgonibus, occidit. Martis gladius apud Scytharum Reges olim servari solebat, quo quicunq; potiretur, ei Regnum sperare fas erat, quasi nemo Regno aptior esset, nisi qui gladio ad illud aperuisset viam. (*Zingerus l. 5. volum. 5.*) Illud lepidum de gladio Attilæ. Pastor quidam cùm suam buculam claudicantem advertisset, diu vulneris causam scrutatus, gladium reperit, in quem casu impegerat bestia; hunc ad Hunnorum Regem Attilam attulit, quem Rex grato accipiens animo, omnium se Regnorum Dominum hoc victore gladio ominatus est: & reverà omini respondit eventus. (*Bomfius l. 3. Decad. 1.*) Scythæ barbariores gladium pro Numine colunt. Sub aggere enim sarmentorum quadrato ferreum asservant ensem, qui omnium vetustissimus est. Id pro Martis Simulacro magna apud illos religione colitur, cui annuas hostias hac methodo offerunt: ex captivis centesimum quemque ad quoddam vas mactant, quorum cadaveribus igne absumptis, gladium cruore perfundunt, eumq; sic sanguine potum pari cultu suo reponunt loco. (*Herodot. l. 4.*) Lycaonis etiam Gnosij celeberrimi artificis apud Pöëtas gladij celebres sunt, quorum unum obtulit Ascanius Euryalo pretiosissimi doni loco,

--- --- humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atq; habilem vaginâ aptârat eburnâ. (Æneid. 9.)

Sed

Sed Vulcani tamen præ cæteris celebriores gladij, nempe quos non in profanos usus, sed Dijs in vindictam fabricârunt; Ex his unum Dij dono dedère Peleo in symbolum heroæ virtutis suæ. Quo quidem utens ille in prælijs & venatibus consequebatur, quidquid optabat. Hinc antiquum adagium originem sumpsit in eum, qui præter modum re quapiam insolens, ac tumens est: *magis sibi placet, quàm Peleus suâ machærâ.* (Erasm. in Adag.) Cæterùm à Dijs offerri gladium, nihil aliud esse, quàm victorias è Cœlo venire voluêre Antiqui. Sed quod apud illos superstitione quadam, apud Orthodoxos religione certum est. Testis est Boleslao Chrabri cœlitùs delatus ensis à quodam ex Tutelaribus, cum quo vincendi quasi potestatem accepit Pius Rex, cui Cœlum militâsse visum, unde non gladium modò, sed & Heroam accepit manum. (*Ines in Lech.*) Hoc gladio, qui in ærario Reip. asservatur, etiamnum in Coronationibus Poloni inaugurantur Reges, sed utinam cum eo etiam manum cœlitùs victricem accipiant, quæ talem gladium vibrare nôrit, cùm non quælibet suo par ponderi est. Hinc ille alter sui ævi Alexander Scanderbegus, à Turcarum Solimano requisitus de gladio, quo tot victoriarum messuit laurus, quot Bissurmanorum capita utcunque armata galeis, cingulotenus non difficilè diffindere potuit; misit quidem gladium, at simul moneri voluit mitti à se gladium, sed non manum, quæ parem suæ fortitudini ensem iterum facilè repertura erat. Auream quidem manum, quâ Fortuna retineatur, offerre possunt Reges, ut Krzywoustus Zelislao Strenuo Duci, in vim amissæ manûs in prælio, (*Ines in Lech.*) sed strenuam, & heroam, quâ ipsa fortuna domari possit, & victoria, quoties se occasio obtulerit, obtineri, non nisi suffragante Virtute Cœlum donare potest. Invictæ fortitudinis semper index est gladius, si tamen pro aris & focis, non contra dimicet. Hinc Ægyptij Regem suum gladium vocant. (*Pierius l. 56.*) Gladium quasi Cladium, à clade dictum,

putat

putat Lipſius, (*de milit. Rom. Diolog.* 3.) cùm non in alium uſum deſtinatus ſit, niſi ad clades in hoſtibus faciendas, quas qui plures conſecutus, gladij & ipſe nomen merebatur. Sic Claudius Marcellus à Romanis dictus, ob rem promptè, & ſine cunctatione cum hoſte geſtam. Memorant Annales Franciæ, Rolandum Heròém fortiſſimum, Caroli Magni Nepotem, gladium habuiſſe, cui nomen Durandulo, à duritie fortaſſe inditum erat. Arturnus Britonum Rex, qui circa Annum 1420. vixit, habuit gladium, dictum Caleburnum, quo, unico prælio 470. hoſtes occidit. (*Sigebert. in Chron.*) Cambiſæ gladius, quo in bellis utebatur, in ædibus Bellonæ ad aram ejusdem appenſus, quo nefas uti erat, niſi ad juſtitiæ adminiſtrationem. Eum cultum habent magnorum Heroum gladij, quos ſtrenua manus nunquam rubigine hebeſcere permiſit, quin Heroicis factis ad ſplendorem expoliret gloriæ. *Pruſſorum* id præ cæteris gladio tribuendum, quòd nunquam otiosâ delituit vaginâ, ſed ſemper ad manum eſt, imò in manu, quæ dum pro avita Cruce ſtricto vel in ipſo Stemmate excubat enſe, meritò illi inſcripſerint: *Vno Patriamque, Fidemq; defendimus ictu.* (Barlæus.) Aut illud Propertij: *Quantum ferro, tantum pietate potentes.* Henricus IV. Rex Galliæ, gladium in Ara ſub Corona pictum pro Symbolo geſſit, additâ teſſerâ: *Pro Aris & Règni cuſtodia.* Certè hic dignior Aris gladius, quem ſuper Crucem, velut ſuper Aram, heroica hactenus ſuſpenſum tenet manus, nimirum ſemper in defenſionem Orthodoxæ Religionis Crucisque parata.

APODOSIS ETHICA.

Ab Heroa Virtute glorioſior honor.

V*Oluptates corruptibiles, honores immortales* dicebat Periander. (*Làërt.*) Sed id tam procul à vero eſt, quàm procul Virtus à ſcelere & vitio diſtat: cùm ut vitia

Virtu-

Virtutem interdum mentiuntur, ita honores indignis collati, nec immortales sunt, nec veri honoris merentur nomen. Imò passim hujusmodi Honorij *tolluntur in altum, ut casu graviore ruant*, secumq; etiam ipsas Respublicas trahant in perniciem. Suntq; instar imaginum illarum, quæ ita per artem aptatæ sunt, ut si ponas in sublimi, totum artificium pereat, aut omnino oculos effugiat. Romani ut præcluderent immeritis ad honores ambitum, honoris & Virtutis ædes ita junctas sibi struxerunt, ut nemini ad honoris basilicam pateret aditus, qui non priùs in Virtutis stetisset atrio, ad ostendendum, ut ait Symachus, (*l.* 1. *Epist.* 12.) ibi esse præmia honorum, ubi sunt merita Virtutis. Planè in rem nostram Claudianus: *Emitur sola Virtute potestas. Optimè enim ibi rerum agitur administratio, ubi sola Virtus sui pulcherrima mercede coëmit potestates.* (Turturet. c. 4. de Nob. Gent.) Onerat honor, non ornat, & plerosq; frangit, quibus succolatrix Virtus nullam tulit auxilium: Quodq; de Nerone, idem de cæteris sine Virtutum adminiculo ad honores provectis fas dicere: quòd in eos Fortuna cum honore proijcit imperia, ut frangat, & deprimat. *Honores certè ita gerere debemus, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videamur,* (Justin.) quod à sola Virtute haberi potest, quæ sola & ornamentum, & ipsa sibi pretium. Hinc est, quòd illam vel *Invitam blande vestigat & ultro, ambit honor.* Reverà enim *non Virtutibus ex dignitate, sed ex Virtute dignitatibus accedit honor.* (Boëtius lib. 2.) Sed ut cæteris Virtutibus comitem honorem nemo negaverit, ita præcipuè fortitudinis pene individuum dixero, cùm nunquam suo honore heroa careat Virtus, ac vel ideo firmior hic, quòd non molli teneatur manu. Si enim *Fortuna fortes metuit, ignavos premit*, (Seneca) quidni ijsdem honores ad nutum sint. *Sceptrum teneri Regium hac dextra decet, quæ fortiore brachio ferrum vibrat.* (Avanc. in Tragœd.) Et sanè

Fortu-

Fortuna fortes ipſa ſubit manus,
Fugit remiſſas, cui gravis ad latus
Dependet enſis, obſequentem
Ipſe ſibi parat enſe ſortem. (Ines Ode 4.)

Quotquot in antiquis Simulachris honorum reperiuntur imagines, aut Virtuti, aut fortitudini, quæ primum inter Virtutes tenet locum, ſociatas videris. Sola ambitio aut ſolitaria eſt, aut ſola in conſortium ſui trahit ſcelera. In Vitellij numiſmate Honor galeato capite expreſſus erat, haſtam dexterâ præferens, ſiniſtrâ cornucopiæ, è diametro Virtuti adſtans, mutuò ſe contemplando. Porro Virtus formâ Juvenis galeati, cum pennis ſupra galeam, haſtam ſiniſtrâ, dextrâ autem Sceptrum, aut Columnam ſuſtentans. (*Pierius in Hierogl. l. 1. c. 34.*) Cæteri pingebant Honorem purpurea veſte indutum, laurea coronatum. Apud reliquos adoleſcens venuſtus, laureatus, haſtæ innixus, cujus aureus collum torques, armillæ brachia ornant, &c. Quid hæ Honoris imagines, niſi prototypon hujus ob oculos exponunt Veritatis? nunquam glorioſum, aut ſtabilem Honorem eſſe, qui fortitudini junctus non ſit. Nam primum Hieroglyphicon ſic ipſe explanat Pierius; habet caput galeatum Honor, ut fortitudine eſſe opus indicet, eandemq; ob cauſam haſtam gerit. Virtutem contemplatur. Ubi primùm enim ad hanc cæcutire cæperit, per vitiorum titubando præcipitia facilè caſurus, & ipſe ſcelerum mancipium ſub haſtam ibit. Sed ut paucis complectar omnia: Nullus certè honor aliunde habuit ortum, niſi vel à fortitudine, vel ab alia Virtute. Unde Nobilium Stemmata ſumpsêre initium? Unde tot Heroibus præmia honoris, Torques aurei, Annuli, Scuta, Parmæ, Umbones, Haſtæ, Honorarij Enſes, tot Coronæ Murales, Civicæ Obſidionales, Navales, & ſexcenta alia honorum inſignia, ex campo Martis & Bellonæ collecta? Si ad primam redeamus originem, ſola omnium fortitudo parens & genitrix eſt. Nec mirum, quotidianâ ferme experientiâ compertum eſt, quòd qui *Maxi-*

Maximus est armis, maximus ille togâ. (Stat. 4. Theb.) Ut enim *fortes in Marte Viros, animisq; paratos*, eosdem sic *justos in pace legis*. (Claud. de Con. Honor.)

APODOSIS PANEGYRICA.

UNa Virtutis per ardua via est, multiplex Honoris, PERILLUSTRIS CAPITANEE. Præit alijs ad honorum fastigia cæca ambitio, cum qua postquam per fas & nefas ad summum venitur gradum, ad imum relabi eò velociùs est necesse, quò tardiùs in sublime obstante scelerum mole quispiam luctabatur. Et quod magnis molibus, idem magnis fastigijs, ad quæ Virtus non struxerat gradus, commune est, ut in se magna ruant. Nec ullis bene Phäëtontei hi cessêre ausus. Apparere quidem tantisper in sublimi possunt, sed diu hærere nunquam, cùm & ipsa ambitio præceps sit, & præcipites facit, quos fulcire incipit. Pleriq; fortunæ inhærent vestigijs, ne à via honoris aberrent, sed nec illi securum arripiunt iter, aut saltem multis erroribus implicitum, in quos velut in Labyrinthum non unus impegit Thesèús, ut vix filum redeundi inveniret. Aureis quidem fortuna passibus insequitur honorem, sed vel ideo tardis, cùm nullus sit, qui non ad ejus prociduus pedes remoram injiciat. Et licet volubilem quandoq; suis asseclis impellat rotam, sæpe tamen ipso celeritatis impetu hac fracta in cœno reliquit, quos Cœlo jamjam invehere credebatur. Quod si aurea interdum cum Timotheo in capturam honorum explicet retia, rumpuntur si nimij sint, aut ijsdem irretitos retibus, avidos sui Piscatores invidiæ mergunt fluctibus: si minores quàm sperari poterant, plus damni quàm lucri daturi, vacuas non implent manus, aut vicinas elabuntur. Pervium quippe nimis fortunæ rete est, in quo faciliùs vile lignum, quàm ex ligno hæret Mercurius. Deniq; & ipsa cæca est; Hinc sæpe dum vicinas despicit, remotas venando dignitates, utrâque frustratur prædâ.

prædâ. Sunt, quos ſecundiore Zephyro Principum favor provehit in ſublime; verùm & horum multi Icarum dedêre Orbi, dum gratijs ſuorum Mecænatum ceu pennis fisi, altiùs evolando præ cæteris, vehementiori tumidi faſtûs abrepti turbine, priùs capitum alliſêre apices,quàm in apice, ad quem collimant, ſubſiſterent. Adeo nec per ambitionis avia, nec per aurea fortunæ veſtigia, nec per favorum inane ſecurè itur in altum, niſi Virtus manuductricem porrexerit manum; cui ſoli è veſtigio honor eſt, imò ne procul ab ejus tardior relinquatur veſtigijs, ſæpè ut alter Hyppomenes ſuam hanc Athalantam aureis allicere conatur pomis, quibus aliorum palatum irritat tantùm, non ſatiat. Illuſtriſſimæ Domûs GRZYBOWSCIANÆ Heroës non alio, niſi Virtutis itinere ad Honorum connituntur ſumma, quibus per tot Majorum merita, Regiam ipſe Sanguis aperuit viam. Fortunæ alij ſuæ, non ſibi debent faſces, quos gerunt, ſine injuria repetendos, utpote in quos nullum meritorum jus contulit Virtus. At verò GRZYBOWSCIANO Sanguini hæreditario jure debentur dignitates, in quas tot bello & pace, Togâ & Sago exantlati labores heroo ſudore perenne jus inſcripsêre. Ingloriam ſibi crederet gloriam gratuitis potiri honoribus magnanima indoles: cùm qui præter merita veniant, ornatos tantùm, non honoratos reddunt. Ut enim exanimem Statuam Regijs onuſtam inſignibus utcunq; in ſublimi colloces, ornâſti tantùm, non honorâſti. Ita quos altiores ad rectè facta non animant ſpiritus, utcunq; in excelſis emineant culminibus, infra communem jacent æſtimationem. Nimirum, *Simiam eſſe Simiam, etiamſi aurea geſtet inſignia.* Tam procul ab hoc probro Aborigines Tui, PERILLUSTRIS, MAGNIFICE DOMINE CAPITANEE, ſemper ſunt, quàm proximè Virtutum inſiſtunt veſtigijs, per quæ ipſe in Avitam Domum Veſtram ſæpiùs ſe invitat, imò ultro etiam irrumpit honor. Dabunt fidem Lublinenſes, Varſavienſes, Inovladislavienſes, Czyrſcenſes, Nurenſes

renſes Curules, Capitaneales, cæteriq; toties geſti faſces, quos nunquam ſibi prætulit ambitio, nec tam immeritus Principum favor, quàm juſtitia pro meritis contulit; ad cujus libram ſi Veſtræ Domûs revocarentur merita, etiam maximos honores infra illa decreviſſet Themis. Quodſi Mavors etiam ſuum adijciat ſuffragium, certè priùs præmia meritorum deficerent, quàm quæ præmientur merita. Sive enim Martis arenam ingreſſi ſunt, fortitudo præivit ſigna, ſive onuſti ab arena deſcenderent laureis, nunquam ſine comite victoria rediêre. Si cui amara ſunt Martis bellaria, utpote quæ ſæpiùs cum ſanguine regerere eſt neceſſe, aſt non GRZYBOWSCIANO Nomini, cui non priùs tractâſſe arma contingit, quàm vel in Lucinæ prætexta reptâſſe per Scuta, nec alium etiam tum ſibi ludum eſſe, quàm Martis exuvias. Martem ſequuntur plerique, ut fugitivam aſſequantur fortunam, aut ferreos enſes aurea ſæpiùs acuant cote. Meritò hos avaritiæ dixerim militiam, utpote qui plus ſuæ cupiditati, quàm gloriæ militant. GRZYBOWSCIANA Domus pro integritate Poloni Martis etiam propriæ toties non pepercit fortunæ, quoties illam in publica neceſſitate ſub Gradivi duxit Signa in ſuppetias, nunquam feliciorem ſe rata, quàm cùm felicitati Patriæ ſuam conſecrâſſet. Loquentur ſera fata, loquentur Poſteri invictam fortitudinem, loquentur liberalitatem ILLUSTRISSIMI Capitanei Varſavienſis PROAVI Tui, qui è proprio ærario Catafractorum Vexillum in Patriæ eduxit hoſtes, in quos æquè invicta fortitudo ac Fortuna ſua adeo graviter incubuit, ut ſuæ indignarentur Fortunæ. Loquetur ſera Poſteritas, marmoribusq; & triumphalibus incidet Cedris tot bello ſuppares Scipiones, quorum etiamnum ſub Signis Martis caneſcit ætas. Tuum hîc ſuperſtes Domûs invictæ Heros præterire nefas nomen, *Perilluſtris, Magnifice Dñe* POCILLATOR NURENSIS, qui jam ter ſenos Marti conſecrâſti annos, cui

cui ut ſuo Agamemnoni Polonus jure inſcribat Mars, & vel inter ipſa accinat claſſica:

Martius ornat honos Agamemnona, fuſa vigorem
Celſaq; membra fovet, vultu præcone poteſtas,
Enitet, & Martem ſpecies armata profatur. (DaresPhryg.)

Idem Vobis, Magna belli Numina, debetur encomium, ILLUSTRISSIMI CASTELLANI *Inovladislavienſis* Germani Fratres, Perilluſtris Vexillifer Czyrſcenſis, ac alter *Illuſtriſſimi Palatini Plocenſis* Primipile. Militatis Patriæ, militatis communi bono, ſed & Vobis perennis militat gloria, militabitq; tamdiu, donec Vos ad eos honorum Martialibus armis evehat apices, ad quos GRZYBOWSCIANÆ Virtuti, jam pervium iter Majorum fecêre exempla. Pergite ſecundis paſſibus, quò generoſi impellunt ſpiritus Magnæ Domûs Magna Columina. Tibi verò, PERILLUSTRIS, MAGNIFICE DOMINE CAPITANEE SULEJOVIENSIS, cùm nondum per ætatem tam vaſta ad gloriæ metam Prædeceſſorum Tuorum veſtigia ſectari liceat, tacitis id tamen volvis votis, quod non ſine perenni Nominis Tui fama ſuccedanea evolvent Sæcula, dummodo victrici Aboriginum Tuorum manu, gladioque plantata

Laurus annoſum Tibi ſignet ævum,
Fata Te nôrint, properentq; Parcæ
Neſcium carpi Tibi deſtinatos
Stamen in annos. (Sarbiev.)

Quod dum è Patriæ voto, & ſpe publica, quam de Te Tuamet in omnium animis excitavit Indoles apprecor, utcumq; ſterilem hunc laudum, aſt meritorum decorumq; Domûs Tuæ feraciſſimum, acclinem Nomini Tuo ſubſterno Manipulum, ex quo non jam ſpicas, ſed uberrima gloriæ GRZYBOWSCIANÆ nutrimenta in alimentum egregiæ Indoli collige, & lege.

APO-

APODOSIS PHILOSOPHICA.

QUanquam Heroibus ſemper maximus debetur honor, certè Sapientibus etiam parem tribuit Antiquitas. Latè pleriq; per Orbem imperant fortitudinis adminiculo, gladio pro Sceptris uſi, nihilominùs; *Latiùs imperat*

Qui ſolus exemptusq́; vulgo
Certa ſui tenet arma voti.
Ipſe Miles, ipſe ſibi Pugil,
Et ipſe Ductor. (Sarbiev. l. 4. Ode 3.)

Imò. *Armata Regem non faciet cohors,*
Non tincta vulgi purpura ſanguine.
Rex eſt, profanos, qui domuit, metus;
Qui cùm ſtat, unus caſtra ſibi facit,
Caſumque, fortunamque pulchro
Provocat, aſſiduus, duello. (Idem ibid.)

Si quæras, quænam ſunt illa Sapientiæ arma; Aſſidua Sapientum inſpice bella, quæ inter doctarum jurgia mentium geruntur. Certè ingenij acies pro gladio eſt, quâ plures ſternuntur hoſtes, quàm ferro, quod corpus tantùm, non animos premit. At Philoſophicus gladius etiam animis imperare poteſt. Quis tamen eſt ille mentis gladius? tertiam dicam mentis operationem, quam argumentationem vocamus. Hâc enim ſolâ macherâ digladiantur ingenia. Graviter premit enſis, ſed graviùs argumentum, cujus nullus ictus non fatalis eſt, ſi in veritatis hoſtes inciderit. Plures profectò in deditionem coguntur ingenij adacti vi, quàm gladij. Intellectus noſter Laniſta quidam eſt, cui pro manu, quâ fortiter vibret telum, aſſenſus, pro gladio Syllogiſmus; hâc dexterâ quidquid apprehenderit, nulla excutiet vis. Paucas quidem, quia binas tantùm in præmiſſis inſtruit phalanges, quas tamen ſi clarè in medio videris, palinodiam illi canes, *vidi, vici*, has enim vidiſſe

mentis oculo, vinci eſt. Imò etſi quam debiliorem cernas, etiam ſic victus illius ſequeris partes. Felices tamen in hoc Philoſophos! quòd nuſquam injuſtum gerant bellum, utpote quod ſemper pro veritate ſuſcipitur, quanquam non ſine latente interdum formidine. Nec fidei quoq; cauſa ab hoc excluditur bello, niſi ab illis geratur, qui præ metu negant ſe quidquam ſcire, aut ſi quid ſe ſcire dicant, fidem perdunt. Syllogiſtico itaq; gladio totum ſibi Philoſophi Stagyriticum ſubjugant Orbem, utpote quorum totus mundus diſputationi traditus. Diſputatio quaſi deputatio quædam, à putando nomen derivat, quòd ut gladio, ita argumentatione non paucis erroribus amputata capita in trophæum ceſsêre Sapientibus. Alexandri Magni Enſi inſcripſit quiſpiam: *Scit ſolvere nodos*, (Apell. Symb.) meliùs id Ariſtotelico inſcripſiſſet gladio. Pro Coronide itaque Diſcursûs eidem & ego ſequentes incido

INSCRIPTIONES.

I. SYllogiſmus eſt Oratio conſtans tribus propoſitionibus, ex quarum duabus, certo modo diſpoſitis, tertia ſequitur, propter connexionem terminorum cum medio. Fundatur in hoc principio: quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:

II. Præmiſſæ formales non concurrunt efficienter ad aſſenſum Concluſionis.

III. Bene diſpoſitæ, & intellectæ, neceſſitant intellectum, tam quò ad ſpeciem, quàm quò ad exercitium ponendæ Concluſionis.

IV. De-

IV. Demonſtratio eſt Syllogiſmus, in quo ex certis & evidentibus præmiſſis, ſequitur certa & evidens Concluſio.

V. Poteſt ſimul ſtare in intellectu de eodem objecto Scientia, Fides, & Opinio; Imò idem actus poteſt eſſe ſimul Scientiæ, Fidei, & Opinionis.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C.
Honorem.

